



§. 6.

Maior lux Pannoniae partibus affulsit Seculo IV. utpote quo SIRMIVM suos iam habuit episcopos. Sanctus HIERONYMVS parentibus christianis Stridone, quae ciuitas interioris erat Illyrici natus est. Gothi quoque CONSTANTINO M. regnante, cum transmissis Istro romanorum primum prouincias vastarent, mox vero caederentur, quicumque rapti sunt Christo nomen dederunt.* Sed haec de primis initiis Christianismi inter Gothos non sunt sumenda, siquidem sub initium seculi, suos iam habuerint episcopos, ut patet ex historia Concilii Nicaeni an. 335. celebrati, cui inter alios subscripsit THEOPHILVS Episcopus Gothorum.** Si ergo episcopum iam tum habuerunt, non paucos ea aetate christianos inter ipsos fuisse necessum est, qui certe non simul et semel, sed per longum tempus successiue collecti sunt. De iisdem Gothis notandum et porro: quod cum AVDAEVS Episcopus in Mesopotamia ob paradoxas opiniones in exilium ab imperatore CONSTANTINO missus fuisset, in Daciam Gothorum se recipiens, multos ex illis ad christianam religionem perduxit; quod factum est circa An. 343.*** VLPHILAS episcopus Gothorum floruit circa an. 369, qui nouum genus litterarum inuenisse et codicem sacrum in linguam Gothicam transtulisse dicitur.**** Hic est ille VLPHILAS, qui occasione legationis ad imperatorem VALENTEM susceptae, qui Imp. Arianis fauebat, eadem labe infectus est, suosque post reditum Gothos infecit Ariamismo.*****

SE-
INCHOFERVS annal. eccl. libro p. 14. qui LAZIVM bona fide transcripsit, nec tamen ullam mentionem eius fecit. Quae de suo addidit, sine censura non sunt admittenda.

* Vid. MARTINI SCHMEIZELII Transylv. diss. de statu religionis Lutheranae in Transylvania. Ienae 1721 4. pag 9.

** Ille idem pag. 10.

*** Ita Epiphanius haeresi XXX. et ex illo INCHOFERVS l. c. ad an. 343.

**** Vid. HEYBELII de Vlphila peculiarem dissert. Wittebergae habitam ut et SCHMEIZEL. l. c. p. 10.

***** Idem auct. l. c. p. 10 & 11.